

SS 17 24

LECTIONES PUBLICAS
ET PRIVATAS

PER INSTANS SEMESTRE AESTIVUM
IN ACAD. LUDOVICIANA
DEO DUCE ET AUSPICE
HABENDAS

RECTOR
JO. CASIMIRUS
HERTIUS

BOTANIC. ANAT. ET CHIRURG.
P. P. ORDIN.

*UNA CUM UNIVERSO
SENATU ACADEMICO*

INDICIT ET AD EAS SEDULO AUDIENDAS
GENEROSOS AC NOBILISSIMOS OMNIUM
FACULTATUM STUDIOSES PERAMANTER
INVITAT

D. XXIII. APRILIS ANNO MDCCXXIV.
SUB SIGILLO ACADEMIÆ MAJORI.

GISSAE

Typis VIDUAE JO. REINH. VULPII, ACAD. TYPOGR.

IN FACULTATE THEOLOG.
JOANNES CHRISTOPH. BIELENFELD,

Confiliarius in Sacris Suprem. Superintendens & Theol. D.
ac P. P. Primarius.

*P*ublicè ea, quæ in Theologiâ Morali absolvenda restant, ad finem perducet. *Privatim* Collegium Theologiæ Universalis Biblicæ, &c., absolutâ nunc ad Ephesios Epistolâ, Exegeticum in alium quendam Librum biblicum, methodò consuetâ exegeticâ, porismaticâ & Homileticâ continuabit.

JOH. BARTHOLOMÆUS RÜDIGER,

SS. Th. D. & Prof. Ord. Consist. Eccl. Assess. & district.
Marpurgo - Darmst. Superint.

*S*uperiori semestri cœptas lectiones *privatas*, dogmaticas æque ac *Polemicas*, horis *ante meridiem* solitis, tum *examinando*, tum *disputando*, continuabit, Deique clementi auxilio absolvet. *Publice* autem operas ita partietur, ut porrò ostendendæ *Harmonie Evangelistarum*, junctâ simul *exegeſi*, horas alias, alias verò, easque succisivas, potioribus *Fidei* nonnullis *Capitibus* uberius exponendis, à *meridie* dare queat, & si quid ultra liceat, suum desiderari studium nullatenus committat.

JOH. GOTTFREDUS SCHUPART,

SS. Theol. P. P. O. Consistorii Princip. Aduoc. & Diœces.
Alsfeld. Superintendens.

*C*is paucos dies & *Pastorale Collegium* & *Morale Theologicum* absolvet, quo labore defunctus alteram adhuc horam Collegio super *Theologiam dogmaticam* addet, *disputationes publicas* in B. Baieri *Compendium* singulis hebdomatibus naviter continuabit, *Exegetica* etiam in *Libros Propheticos* & *Historicos Veteris Testamenti* strenue porrò urgebit.

JOH.

66

JOH. GEORG. LIEBKNECHT,

SS. Theol. D. ejusdemque P. P. Extraord.

Publice Theses nonnullas ex Apologia A. C. desumptas novatorum ausibus opponet; *Primatim* vero lectionem cursoriam in N. T. exegetico-practicam continuabit, nec iis de erit, qui Historiæ Eccles. amatores sunt.

IN FACULTATE JURIDICA.

IMMANUEL WEBER / Jctus,

Consiliar. Hasso-Darmstad. Acad. Syndicus.

Facultatis suæ Senior.

IN Publicis Lectionibus argumentum de LL. divina positionis Universalibus, exponet; Studiosis tam Theologiæ, quam Juris adprimè necessarium atque utile. *Privatim* Collegium Pandectarum, ad Schöpferi Compendium juris, item Feudale, ad Examen Stryckii, nec non Juris Canonici, ad ductum Schilteri aperiet.

JO. GODOFREDUS HARTVNGIVS, D.

Consiliar. Hasso-Darmstad. & Jur. Prof. Ordin.

PER totum semestre æstivum in exponendis publice privatimque Pandectis ad ductum Compendii Lauterbachiani adhuc occupabitur, cum ne impensis quidem hactenus privatis lectionibus binis per diem horis ultra dimidium progredi justis passibus procedenti licuerit: absolutas vero Pandectales lectiones mox denuo auspiciari animus est.

JO. DANIEL GRUBER,

J. V. & PHIL. D. Jur. in Ludoviciana Cattorum Prof. Publ.

Ordinar. Designat.

DE O volente hoc semestri publice interpretari adgredietur I. CLAUDII FLEURI institutiones iuris ecclesiastici, quas ipse latinis reddidit.

didit, atque his nundinis cum animadversionibus Illustr. BOEHMERI edidit in lucem. *Privatim* II. STRUVII *iurisprudentiam forensam* minorem explicabit, & III. *ius publicum* docebit ductu compendii HORNIANI. Præparandis autem ad hanc diffusam disciplinam animis coniunget separatis horis IV. *historiam S. R. I. Germanicam* die Reichs-Historie ductu libri elegantissimi, quod ficto LEVINI V. AMBGER nomine circumfertur; nec non V. *historiam nouissimarum societatium uniuersalem*, omnium artium studiosis apprime necessariam vtilemque, ex PRODROMO IURIS PUBLICI, a se editi. Quibus subiunget VI. *notitiam statusum Europa*, certis positionibus delineandam, &, si gratum id fore an imaduertet, VII. *commentationes in res nostra tempore per orbem terrarum gestas*, prout illæ statis ad nos celeram nuntiorum literis perferuntur. Quæ autem singulis scholis horæ destinandæ, coram e valuis publicis indicabit, futuro semestri si DEO ita visum fuerit, plura ac maiora ausurus.

JO. FRIDERICVS WUSSE

J. V. L. & P. P. Extraord. nec non Facult. Jurid. Assessor.

Publice institutiones D. Justiniani explicabit, privatas lectiones ad Compendium LAVTERBACHIANVM sedulo continuaturus ad finem perducet, & in adpericendis novis Collegiis se Studiosorum desiderio, quantum tempus permittet, adcommodabit.

IN FACULTATE MEDICA

JOH. CHRISTOPH. HERTIUS, Med. D.

hujusque Prof. & Archiater Hasso-Darmst. Primar.

Ubi otium aulicum ipsi permittet versari in Academia, non deerit, si quacunque ratione Philiatorum conatus promovere poterit.

D. MICH.

D. MICH. BERNHARDVS VALENTINI,

Archiät. & P. Med. Ord.

DE O T. O. M. vires largiente publice *Joh. Valentini Willii Dissertationes Ill. de itineribus Philiatorum Germanorum* explicabit easque *Thoma Bartholini Epistolis de Peregrinatione Medica* illustrabit; addito simul usu peregrinationum ad sanitatem conservandam atque ac restituendam. Privatim expectabit desideria Dn. Auditorum; quibus ex omnibus Medicinae partibus pro virili satisfaciet.

JOH. CASIMIR. HERTIUS,

Med. Dr. ejusque P. P.

QUum laborum, qui muneris, quo nunc fungitur individui comites sunt, onere impedito publicis praelectionibus vacare non liceat. Privatim operam dabit, ut, quae congruae Professioni suae medicinae partes sunt, in iis votis ac desideriis Nobiliss. Dn. Commilitonum satisfaciat.

IO. MELCHIOR VERDRIES,

D. Medicin. PP. Ordinari.

Publice Praecepta de Compositione medicamentorum extemporanea suppeditabit & illustrabit. Privatim in Collegio Practico perget; Idemque cum aliis Nobil. Dn. Commilitonibus, absoluta jam Materia Medica, denuo inchoabit.

JO. THOMAS HENSING,

Med. D. & Prof. P. Extraord.

Publice hora ante meridiem IX morbos mulierum pathologicae & therapeuticae explicabit. Privatim collegium consultatorium continuaturus, non desinet aliis Dn. Philiatorum desideriis.

CHRI.

CHRISTOPH. BERNH. VALENTINI,

Med. D. ejusdemque extra ordinem Prof. P.

Anni tempore invitante, PVBLICE rem herbariam exculturus non tantum plantas vernaculas per crebras excursionses Botanicas in loco natali inquirendas, sed & exoticas, cura singulari Magnifici Academiae Rectoris, Dn. D. Hertii horto Medico insertas, demonstrabit omnia secundum methodum *Turnefortii* à se in Tabulas redacti. PRIVATIM Tyronibus Artis Collegium Institutionum; Provectoribus autem *Practicum* offert, utrobique manuactionem fidelem & studium indefessum testaturus.

IN FACULT. PHILOSOPHICA,
MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,

Phil. Experim. Prof. P. Ord.

In lectionibus publicis occasione argumenti *Medici utilitatem peregrinationum in Historia Nature* ostendet. Privatim Collegium *Experimentale curiosum*, peculiari programmate intimandum, denuo aperiet & ope filii subsidiaria continuabit.

MATTHIAS NICOL. KORTHOLT,

Eloqu. & Poët. Prof. Ord. Academ. Biblioth. Praefect.

DE O fauente publicis praelectionibus VOSSII partitiones oratorias duabus hebdomadis horis, & duabus aliis elegiam OVIDII de nucce enucleabit, die Mercurii Bibliothecam hora pomeridiana II. aperturus nec vlla in re defuturus illis, qui publicas orationes sunt habituri. Adiunget privatim Collegium stili epistolicum & oratorium practicum, vel introductionem ad eloquentiam civilem, latinam & germanicam, hodiernam, cum praxi pariter coniungendam, operam insuper daturus, ut eloquentiae ligatae aliosue rei litterariae cultores, prout desiderabunt, sibi deuinciat.

JO.

IOH. GEORG. LIEBKNECHT,

D. & Math. Prof. P. Ordinarius.

Publice Geographiæ generalis ultimam Elementorum suorum partem de Globorum & Mapparum usu explicabit, cui *privatim* non solum Geographiam historicam, sed & integrum Matheseos cursum ab ovo explicandum addet; & *speculatim* nonnullos in Architectura militari ut & Geometria & Trigonometria practica debita cura instituet.

IO. HENR. MAIVS,

Antiquitatum, litteraturæ Græcæ, & linguarum orientalium

Professor ordinarius.

Publice sacros N. T. libros Philologicis observationibus illustrare perget, additurus *privatim*, quæ ex re ac votis auditorum esse intellexerit.

IO. MELCHIOR VERDRIES,

D. Philos. Nar. P. P. Ordinarius.

Physicam specialem docebit, eamque *publice* Dissertationibus ventilabit, *privatim* vero uberiore pertractatione exponet.

JOH. CONRADUS ARNOLDI, D.

Log. & Metaph. Prof. Ord.

IN curam præceptorum Philosophiæ Rationalis, & Primæ, vulgo *Logica & Metaphysica*, systematicæ ac perspicue explicandorum, usuique ceterarum disciplinarum necessario applicandorum, sedulo *privatim* porro incumbet, ac desiderio Dni. Auditorum, in tradenda *Theologia naturalis*, facilem promptamque locabit operam. *Publice Hora IX.* harmoniam & discrepantiam veteris & novæ philosophandi rationis, in hæc philosophiæ partibus, luculenter monstrabit, ac, ad torporem in isto studiorum genere excutiendum, thesibus conceptis eandem frequentiter, tum publico, tum privato, exercitio disputatorio examinandam, Deo clementer assistente, proponet.

SEBASTIANUS MASSON, P.

Exactis pridem intra elapsi semestris curriculum Civilis Prudentiæ & Juris Vniuersalis cursibus, altero ad Ill. Pufendorfii, altero ad Cel. Dni Bud-

Buddei ductum, nouas super iisdem disciplinis praelectiones instituet, quas simili temporis spatio D. V. absoluturus, rationibus, exemplis, fontibus, auctorum consensu dissensuque collatis vtrinque ac ponderatis eorundem argumentis, prout consuevit, illustrabit. Collegium porro iuris nat. disputatorium quo Dominis commilitonibus tum audita perceptaque repetendi, ventilandi adplicandiue, tum vires ingenii experiendi, exerendi firmandique copia sit atque occasio, propositis vice quaque controuersiae maxime aptis thesibus, exposcentibus ita pluribus, aperiet. Quemadmodum etiam aliis aliorum desideris, pro demandata sibi prouincia ac doctrinae modulo, qua publice, qua priuatim accommodare se neutquam detrectabit.

CHRIST. FRIDER. AYRMANNVS,

Histor. Profess. P. Ord.

Publicis lectionibus secundum ductum Tabularum Geographicarum institutis, ad omnis aui Geographiam simulque Historiam uniuersam introducer. Priuatas lectiones in Speneri Historiam Germanicam per proximum semestre continuabit, aliisque in Cellarii Hist. vniers. mox absoluendis nouas in eundem librum superaddet. Paratus ad alia quae ex nuperi Programmatris promisso exsoluenda.

D. JOH. THOMAS HENSING,

Philos. Natur. Chem. Prof. P. Ord.

Lectionibus publicis, die Mercurii & Saturni habendis, Institutiones Chemiae in genere continuabit, in specie vero Naturam & effectus Salium physice & medice explicata dabit. Si quid etiam Curiosorum animis ex Chemia priuatim placuerit, ut satisfaciat cupidis nullum operam denegabit.

CHRISTOPH. LVDOVICVS RÜDIGER,

Prof. P. Extraord.

Decorum priuatum publice docebit. In Oratoria Sacra, & quas ingressus est, elegantiorum litterarum partibus aliis, telam strone per texet. Quibus horum insignium analysin ad Exc. II. Weberi Examen A. H. vt & Ill. Kulpisii Collegii Grotiani explicationem superaddet.